

attemptaveritis, a vobis et contra Io. Meurer ad reverendum in Christo patrem et dominum, dominum Iohannem episcopum Merßburgensem, quem vos pretenditis iudicem et conservatorem principalem, vel saltem tamquam ad ordinarium loci dei nomine in hiis scriptis provocho et appello apostolosque instanter instancius et instantissime mihi
 5 dari peto vel saltem a te notario publico testimoniales, subiciens me in hac parte protectioni, tuicioni et defensionem dicti reverendi patris et domini, domini Io. episcopi, et protestor, quia hanc meam appellacionem valeam emendare, corrigere, mutare, prosequi, insinuare et similiter aliasque ut est moris atque stili.

66.

10 *Nicolaus Slendorff, Official des Bischofs von Merseburg, exkommuniziert den Student Conrad Tube, da dieser der wiederholten Vorladung vor Gericht keine Folge geleistet hat.* 1446 März 26.

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 304b.

Nicolaus Slendorff officialis curie episcopalis Merßburgensis et executor statutorum provincialium sacri concilii Magdeburgensis per civitatem et diocesim Merßburgensem
 15 constitutus, divinatorum rectoribus in Lipezck ac universis et singulis plebanis, viceplebanis ceterisque pro executione presentis faciendi requisitis salutem in domino. Dudum ad nostram audienciam devenit, quod Conradus Tube, scholaris et studens alme universitatis studii Lipezensis dicte Merßburgensis diöcesis, temere manus violentas in venerabilem magistrum Io. Meurer, clericum ac decanum facultatis arcium in dicta universitate
 20 iniecit ac ipsum letaliter ad maximam sanguinis effusionem vulneravit, unde ipsum Conradum ex officio nostro ratione dictorum statutorum ad certum peremptorium terminum et competentem citamus ad comparendum coram nobis ac videndum se declarari incidisse sentenciam canonis qui incipit „Si quis suadente dyabolo“ ac alias penas in statutis dicti sacri concilii contentas vel allegandas, si quas pretenderit habere
 25 in contrarium, quare ut sic declarari et excommunicatus publice denunciare non deberet. In quo quidem termino idem Conradus coram nobis comparuit et sponte confessus fuit memoratum magistrum Io. vulnerasse, sed hoc fecisset vim vi repellendo et non alias, quod bene probare posset, et sibi terminum ad hoc probandum sibi statui per nos debita cum instancia postulavit, nosque sibi eundem terminum competentem, prout ipse petebat,
 30 statuimus ac sibi decrevimus citacionem legitimam contra dictum magistrum Io. ad videndum huiusmodi suos testes produci, recipi, admitti et iurare ac ad dandum interrogatoria si dare vellet similiter examine ipsorum testium. Ipse tamen Conradus in termino huiusmodi nullam probacionem nec aliquam diligenciam fecit, quare ipsum iterum ex officio nostro monuimus ac monere fecimus legitime et peremptorie, ut adhuc
 35 infra certum terminum sibi assignatum coram nobis cum suis testibus compareret ad probandam huiusmodi suam innocenciam prout se facere obligavit, ac alias in causa huiusmodi ad ulteriora procedendum prout iustum foret et ordo dictaret rationis, sicut hec et alia in nostris processibus desuper confectis et legitime executis plenius continentur.